



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Pars 1. de Sacro quotidie audiendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

omnibus manifestetur., Et hæc de Meditatione, de qua, quæ plura volet, consulat fusissimos aliorum Tractatus, sufficit nobis hæc pauca annotasse.

§. VI.

De Missa.

EXpeditis iis, quæ de Meditatione tradenda erant, sequitur ut tractemus de Missa, cum hæc illam de more apud nos recepto subsequatur, & ad eam quotidie audiendam Regula Virgines constringat: cumque hîc plura dicenda sese offerant, & hunc §. in aliquot partes diffecabimus.

P A R S I.

De Sacro quotidie audiendo.

PRO cuius congruentiâ non coacervo multa argumenta, hoc unico contentus, quòd ibi se præsentem sistat, & salutetur Virginum Sponsus: *Indica mi- Cant. 1:9*
hi, votum erat unius, ubi pascas, ubi cubes in meridie.
Cui si respondendum modò, non remittam aliò, nisi ad Ecclesiam & ad Aram: ibi namque fervet, meridies divini amoris, ibi pascit fideles sibi non alimento alio quàm seipso, ibi cubat quasi præstolabundus ad tuum adventum, quasi anhelus ad tuam visitationem & præsentiam: amas itaque illum? delectaris ejus præsentia? ut certè delectari debes, si verè amas, amor namq; amantium unio est, is non nisi cum summâ impatientiâ tolerat Amati absentiam: patet id in illo qui de se testabatur; *Quemadmodum desiderat Ps. 41:*
Cer- 2. 3.

Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Talis inquam & tuus est amor? tale & tuum ejus præsentiæ desiderium? voto tuo Missa satisfaciet, in ea namque ad verba Consecrationis præsentem se sistit, sui copiam exhibet, quò à te invisatur, tuâ adoratione saluetur: eximius hic honor, grande est, quod tibi præstat, beneficium: Unde hoc mihi, dicebat olim Elizabeth, ut veniat Mater Domini mei ad me? Amplius, quòd veniat Dominus ipse ad te: cui, impensus honor non idololatricus est, ut blasphemant hæretici, sed legitimus & debitus.

Luc 1:
43.

3 Reg.
10:24.

Gen. 49:
22.

1 Petri 1:
12.

4 Imit. 1.
13.

Si ergo vultum Salomonis videre desideraverit Terra universa, si ad videndum Joseph filiae muros conscenderint, ut effatur Jacob jamjam moriturus: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decoris aspectu, filiae discurrerunt super murum.* Quò magis accurrendum ad contemplandum divinum hunc Joseph, non oculis corporis, sed animæ fidei lumine illustratis sub panis ac vini speciebus prodeuntem in Altari: Illum inquam Joseph non unius Ægypti sed totius mundi Servatorem: illum inquam decorum aspectu, *In quem desiderant Angeli prospicere*, imò in quo & ipse Pater cœlestis sibi benè complacuit: quæque ideo prodit ut ad se accurratur: „ Si enim hoc sanctissimum sacramentum in uno tantum celebratur loco (scribit noster Kempenas) & ab uno tantum consecraretur Sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari viderent? nunc autem multi facti sunt Sa-

„ cerdotes, & in multis locis offertur Christus, ut
 „ tantò major appareat gratia & dilectio Dei ad ho-
 „ minem, quantò latiùs est sacra communio diffusa
 „ per orbem. Illum inquam, cujus non solus tibi
 „ conceditur conspectus, ut istius, filiabus Ægyptiacis,
 „ sed qui seipsum tibi donavit utpote Sponsus tuus.

Hinc ex Animæ, in quibus viguit desiderium
 præsentia Christi, quibus volupe ei adesse, nullum
 intermisere diem, quo non in Officio Missæ ejus
 præsentia fruerentur: non allego nisi unam aut alte-
 ram, scil. D. Monicam S. Augustini matrem, ab eo ^{9. Confess.}
 idcirco laudatam: *Quæ moritura* (inquit Deum allo- ^{11.}
 quens) *memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit,*
cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dis-
pensari victimam sanctam, quâ deletum est chyrogra-
phum, quod erat contrarium nobis. Et D. Thomam
 Aquinatem, qui, præterquam quòd ipsemet Sacris
 operaretur quotidie, alteri sacrificanti deserviebat,
 ut amicâ Domini sui præsentia frueretur eò duitiùs
 & frequentiùs.

Audiant hæc illæ, quæ sine ulla prægnante ratio-
 ne, imò ex merâ negligentia, vel ob futiles occupa-
 tiones quæ moram paterentur, sæpius sacrum negli-
 gunt: ostentant tales quo animo sint in Christum
 Dominum, dum eum licet ad suam præsentiam eas
 citet & invitet, tam facilè negligunt: Amorem sanè
 non nutrit aut promovet præfixo tempore, & designa-
 nato loco non comparere, præsertim si ex parte mi-
 noris erga majorem hic se teneat defectus, qualis hic
 culpatur: scriptum namque est: *væ qui spernis, non-* ^{Isai. 33:1}
ne & ipse sperneris? certè *non bonum videtur habuisse* ^{S. Bern. de}
fontem rivus charitatis aliquando decrescens. Non ^{pass.}
 sunt ^{Dom. c. 10}

funt ex Aquilæ, quia hæ, ubicunque fuerit corpus, congregantur, ut, si escam ipsam sumere non licet, saltem ejus visu & odore reficiantur. Angeli suo vos exemplo huc trahunt: utinam aperirentur omnium oculi, cum famulo Elizæi integros ibi viderent exercitus, & juxta visionem Danielis, quando *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*: „ Quis enim fidelium habere dubiū possit, (scribit S. Gregorius) in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse. Et D. Chrysostomus: „ Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Ecce accurrunt Angeli e cœlo, eos æmulentur, necesse est iisque sese associant, quæ vice & nomine Angelorum censentur in terris.

Itaque filiæ meæ Domino seu potius sponso vestro hîc nobis quotidie præsentem & vos quotidie præsentem sistite: lex hæc amantium est, ut mutuam præsentiam quærant. Adesse alicui non licet corpore, vel quia famulatu impeditur vel gravi aliâ necessitate? affectu & corde præsentem sistat, quod nemo detinere poterit. Pudeat cæterum quin, cum corriuales tuæ ad Domini præsentiam convolant, eam nihili facere ei; te subducere: æquæ namque tu, & fortè magis ac illæ, ejus gratiâ indiges & favore: *Videt ille intus in mente quid facias, & quàm expetenter ejus Virgines imiteris attendit*, ad eam telam suggerit D. Maximus. De audiendo Sacro Ecclesiæ præceptum sub graviore culpa quidem non obligat nisi pro diebus dominicis & festis, sed quæ

Serm. de
S. Agnete.

maiores vitam perfectionem præferunt & amplius Domini servitium profitentur, hunc ei accessum nequaquam denegare deberent: *Quid perversitate minus diligis à quo amplius accepisti?* instat Antistes Hypo-
 ponensis, ideoque *Charitas, o sponsa Christi, quæ te separavit à seculo* (vox est Bernardina) *ipsa te con-*
jungat Deo.

L. de Vir-
 gin. c. 40.
 De modo
 bene vi-
 vendi
 Serm. 41;

P A R S II.

Quomodo audienda Missa.

ID quatuor conditionibus expedio, quarum
 PRIMA requirit, ut in tempore te præsentem
 sistas, non accedendo quando jam inchoata est, sed
 principium ejus præveniendo: ratio evidens est:
 nonne magis conveniens est Ancillam Dominum,
 quam Dominum præstolari Ancillam? Quis dubi-
 tet? Ancilla Christi es, non ergò is te præstoletur in
 Ecclesia & Altari, sed maturiori accessu tu eum ven-
 turum præstolare, qui se jam ad adventum præparat
 quando instat hora sacri, quâ tibi dici imaginaberis: *Matt. 25:*
Ecce sponsus venit exite obviam ei. Docet id te Elias qui
 Domini visione & alloquio fruiturus se prius in spe-
 luncâ collocavit, & aliquo tempore expectavit ut
 Dominum transeuntem videret: *Operuit vultum suum*
pallio, inquit scriptura, *& egressus stetit in ostio spe-*
luncæ, ubi audivit vocem Domini: docet inquam
 is te, ut Dei desiderio mota ilicò ad Ecclesiam ad-
 venias, præstò sis & Dominum ad eundem locum
 accessurum quasi prævenias. *3 Reg. 19:*
13.

Imitare itaque Annam Tobix conjugem, quæ fi-
 lium reducem suspirans: *Quotidie circuibat vias* *Tob. 10:7*
 K *omnes,*